

SILVO KOPRIVA  
Ljubljana

UDK 886.3—1=03.71

DVE OTVI — DUAE ANATES

(Fran Levstik)

Ádvolánt anátés duáe palústres  
In lacum superadita sub arce;  
Nant ibi per aquam simul remisse,  
In frigus penetrant nitens silensque.

Specto sic anates duas deorsum,  
Palpitat valide magis mihi cor,  
Mente praeteritos vagor per annos  
Et genae lacrimis madent amaris.

OMNIA EVANESCUNT

(Fran Levstik — ex parte)

Ádmodúm genus hóc humánum amábam  
Átque amábam ego cúncta fácta díva.

Te, carissima, praeferens amabam,  
Bellis praedita tu, puella, ocellis!

Nunc in pectore adest inane moestum,  
Cum defloruit hoc meum cor intus.

Nunquam consequier quit illud ullus,  
Quocum aufugerat avolanter aetas.

NA DAN POKOJNIH — DIE DEFUNCTORUM

(Anica Šumenjak)

Qui meum cor dividam	Illic esse debeam,
Inter acceptos meos,	Frater ubi iacet meus.
Quos non aura iam fovet?	Irem illuc libentius,
Hic ad tumulum viri	Scrobs ubi parentum adest.
Sto iacentis iam diu.	

Qui meum cor dividam?  
Sic, ut mente provolem  
Ad caros eo meos,  
Quis ademptum lumen est,  
Exoptans quietem iis.